Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

non probo. adiuncto praevaricandi metu et formidine sponsionis. Denique ad abraham 46
dictum est. nunc scio quia amas dominum deum tuum. quia non pepercisti unico filio tuo. Habes igitur
indicium quod docet praevaricandum temere non esse promissum. verum deo parricidium non pro-
bari in eadem asserit lectione. cum pro filio ovis subicitur ut ipsa potius quam filius feri-
retur. Habuit igitur iepthe quod sequeretur exemplum. quia deus sanguine non delectatur
humano. In uno enim oraculo ad abraham prompto. docuit filiorum salutem reli-
gionis obsequio praehabendam. offerri a parentibus deo debere filios. non debere
iugulari. Certe cum hec filia tam sollicita fuerit de patris voto cur pater
non dubitaverit de filie parricidio. et cum illa patri non caverit mendacium.
iste filie non caveret interitum. Dicet aliquis quare ratione illic deus non parricidium
permiserit fieri. hic sit passus impleri. Numquid acceptor personarum deus. Non.
sed meritorum atque intuitu. Certe deum consilium esset ambiguum. signare de-
buit oraculo. quod ad praesens factum et in reliquum conveniret exemplum. Ubi
vero praecessisset exemplum. necessarium non iudicavit oraculum. cum facti forma
veteris quid fieri oporteret ostenderet. Aut fortasse quia non una for-
ma meritorum. ideo non una forma factorum. Pater doluit. flevit filia. utrique de
dei miseratione dubitavit. Non doluit abraham. nec consuluit paren-
tis affectum. ubi audivit divinitatis oraculum. non distulit sacrificium. sed ma-
turavit obsequium. Non dubitavit ysaac cum impariter sequeretur patrem passibus
non flevit cum ligaretur. non dilationem poposcit cum offerretur. et ideo misericordia lar-
gior ubi fides promptior. Et bene non flevit factum patris. quia risus est matris.
propter devotionis excitatione ovis pro illo iussa est immolari quia si ipse
non distulerat immolandum. nec de dei miseratione ambiguus. nec de
sua devotione sollicitus. Nemo igitur invenitur est qui tam cruenti patris revo-
caret affectum. quia omne promissi muneris conveniebat officium. Sacri-
ficium igitur sanguinis immolatur et nemo est qui resistat. Sacrificium castitatis
offertur et qui prohibeat invenitur. Pater parricidium promisit et solvit. pater in-
tegritate filie vovit et tam pie oblationis invidet affectus. Illic fi-
lia dolens sanguinem suum obtulit pro patria sponsione. hic tam pium
promissum. nec hereditario munere nec propria solutum voluntate. Quo
in negocio etiam nos vocamur in culpam. Quam tandem? Quia nuptias prohibemus.